

dem secundum artem. Aspersio vero fit a Sacerdote, ut Caementum quoque Lapidem tangens benedicatur, et ita abjiciatur insidia Diabolicae fraudis.

81 Statim ac locatus est Lapis iste primarius in Ecclesia, fit locus ille Sacer, et immunis, non vero ante dictam impositionem: *S. C. Immunitatis in una Januen. 5. Octobr. 1688. relat. a Riccio Synops. verbo Ecclesia, n. 2.*

Sequitur cum toto Psalmo *Miserè, etc.* usque ad *Gloria Patri, etc.* inclusive, ut hoc intermedio tempore Caementarius valeat Lapidem recto collocare, et consolidare.

§. XII. Quo dicto, Sacerdos spargit Aquam Benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta: Si vero non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiae designata: et incipiens aspergere inchoat Antifonam Clero prosequente: *O quam, etc.*

82 83 84 Si non aperta, saltem ex arte designata esse debent fundamenta ut totus appareat situs benedicendus, tanquam Deo dicatus, qui benedici debet hac aspersione, ut aliquo modo sanctificentur initia, quae occulta jacebunt in aedificio. Psalmus est 86. in quo cantatur laus Jerusalem, per quam Ecclesia Christiana proculdubio intelligi debet.

§. XIII. Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta, seu designata, Et repetita Antiphona, stans dicit *Oremus, etc. Flectamus genua, etc.*

85 Eo puncto ad punctum fieri debet circulus circa fundamenta vel aperta, vel designata per quem iter suum facit Sacerdos aspergens.

RITUS BENEDICENDI

NOVAM ECCLESIAM, SEU ORATORIUM PUBLICUM, UT IBI SANCTISSIMUM MISSAE SACRIFICIUM CELEBRARI POSSIT.

TITULUS CUADRAGESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Ritus hic spectat ad Benedictionem, non ad consecrationem.
- 2 Locus fit sacer duplici modo.
- 3 Differentia inter Benedictionem, et consecrationem.
- 4 Benedictio a quolibet Sacerdote ministrari potest.
- 5 Consecratio a solo Episcopo fieri potest.
- 6 Ecclesia Benedicenda debet esse nova.
- 7 Non vero opus est, ut sit de novo aedificata.
- 8 Missam celebrare non decet, nisi in loco Sacro.
- 9 Ecclesia nec benedicta, nec consecrata gaudet immunitate.
- 10 Benedictio, seu consecratio praesumi non potest nisi probetur.
- 11 Probatio per unicum testem sufficit.
- 12 Nisi Ecclesia fuerit Cathedralis.
- 13 Inferiores Ecclesiae praesumuntur benedictae, si ibi pluries celebratum fuerit Missae Sacrificium.
- 14 Ecclesia potest dici nova post profanationem, et restorationem.
- 15 Ampliatio, vel additamentum non facit novam Ecclesiam.
- 16 Ecclesia per destructionem amittit consecrationem, seu Benedictionem.
- 17 Exemplum consecrationis Ecclesiae S. Dominici Ferrariae.
- 18 Oratoria benedicuntur eodem ritu.
- 19 Pro Oratoria erigendo debent verificari omnia in Breve contenta.
- 20 Domus Religiosae possunt habere Oratorium privatum.
- 21 Oratoria in Domibus Religiosorum benedici a suis Religiosis.
- 22 Facultas benedicendi Ecclesiam potest tradi simplici Sacerdoti.
- 23 Facultas debet dari in scriptis.
- 24 Littera scripta manet.
- 25 Facultas debet registrari cum copia Brevis.
- 26 Origo hujus Benedictionis antiquissima.
- 27 Antiquis temporibus non tam solemniter benedicebantur Ecclesiae.
- 28 S. Sylvester Papa ampliavit hunc Ritus.
- 29 Causa finalis hujus Benedictionis.
- 30 Esset inconueniens, si in Ecclesia nunquam litaretur.
- 31 Altaria eriguntur ad effectum ibi litandi.
- 32 Alba est adhibenda in hac Benedictione.
- 33 Color Albus convenit huic Benedictioni.